

John Leland
Commentarii in Cygneam cantionem
London
1658

KYKNEION
ASMA
Cygnea cantio.

AUTORE
Joanne Lelando
Antiquario.

LONDINI,
Typis & Expensis Johannis Streater.
M DCL VIII.

<part 2>

COMMENTARII
IN
Cygneam Cantionem
Indices Britannicæ Antiquitatis
locupletissimi.

Autore Joanne Lelando Antiquario.

20

... Vidi etiam ossa gigantea
Dori Cantiorum, Sturoduni Duro=
trigum, Londini quoque in cœme=
terio Paulino. ...

...

48 <Deal>

DELA, Saxonice, ut ego arbitror,
Dale. Locus est in littore Cantiano
inter Dorin, & Rutupinum urbes Ro=
manis cognitissimas, ubi solum hu=
mile, & subsidens descendentibus e=
navibus facilem in Insulam aditum
præbet. Fama publica est, in pro=
montorio Cantiano Julium Cæsarem
a portus Durensis aditu prohibitum,
hic in terram loco opportuno *des=
scendisse una cum copiis suis, & castra
in spatiosa illa planitie, cui nunc no=
men Barendunia, posuisse. Neque
his dissimilia referunt Chronica quæ
ego aliquando legi de rebus Dori ge=
stis.

*sic

...

51 <river Darenth>

DERENTUS fluvius, Angl. Derente
corrupte, duabus literis mediis subla=
tis, Derte. Conjectura est quorundam
& probabilis hunc fluvium olim ap=
pellatum fuisse Dorguin, alias Dor=
guen Britannico vocabulo, quod La=
tine aquam lucidam, & perspicuam
significat. Facilis mihi quidem vide=
tur lapsus a Dorwente in Derente.

Oritur hic fluvius Titesegæ, quæ Reg= norum in sinibus sita est villa. Specta=

52

bilis autem est Craii, & Derenti confluentia in ipso Derenti vado. Origo Craii cernitur Dorpenduni vulgo **Orpington**: quod nomen Bri= tannicum Aquæ caput montanæ Latine exprimit, quasi ipsos fontes, & origi= nem fluviorum significans. Loca non obscura alluit, & tandem Derentiva= dum vicum celebrem attingens, De= renti petit alveum, quo loco viatori= bus pene pervius est. Nuper mœstus, cœnobium virginum Doruenta cin= gebat, opus Eadveardi a Gulielmo Magno Regis Angliæ ejus appellati= onis tertii. Nunc lætissimus, palatio= lum Henrici octavi Regis, opus unde= cunque splendidum, admiratur, amat, colit. Paulo inferius, Doruenta pleno alveo Tamesim, fluviorum regem, æ= stum marinum patientem ingreditur.

...

54 <Dover>

DORIS, si<v>e Durus, urbs fama ce= leberrima in ip<s>o promontorio Can= tiano, quam nostra ætas **Dover** ap= pellat, unde ad Morinos transitus; at, ut ego conjicio, non brevissimus. Est autem brevissimus, ut rerum nautica= rum peritissimi pronunciant, ab Hi= thino portu, qui vulgo **Hive**, ad Ges= soriacum urbem Morinorum, nunc Bononiam, quamvis alii aliter som= nient, indubie dictam. Sed nec in= terim Bononiæ nomen recens admo= dum. Ammianus Marcellinus, qui Cæsarum res gestas scripsit, hujus me= minit, sed Bonnam, ni codex mendo= sus, subinde appellavit. Doris origi=

55

nem traxit ab 'hydōr' Græco vocabu= lo. Britanni etenim, detruncata yp= silon litera, aquam sua lingua Dōr, sub= inde & **Doure**, auctis duabus literu= lis, vocabant. Neque aliud quicquam est Douer, si R. suo loco reponas. At, an fluviolus qui urbem allambit, Do= ri, sive Duri nomen antiquitus reti= nuerit, non temere affirmo. Illud ad= firmare possum, bonam partem urbi= um Cantii a Dour Britannico voca= bulo nomenclaturam accepisse. Sunt argumento, & quidem manifesto, Du= robrevum, quod nunc **Hrofecester**, Durovernum vulgo **Cantewarebyri**, id est Cantiorum curia, & Doris urbs quæ modo **Dover** dicitur. Tradunt annales Dorensis cœnobii Arvira=

gum Britannorum Regem arcem pene inexpugnabilem prope urbem in montis crepidine posuisse. De hoc rege sic scribit Juvenalis poeta, Satyra quinta, dum Neroni foede adulatur.

Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus.

Erat tunc temporis Dori portus navibus percommodus instar lunæ, cornibus in orbem pæne concretis. Sed tempus edax rerum, procellæ,

56

venti, denique fluctuum refluorum violentia, ita utrinque veteris portus cornua concusserunt, ut ablatis illis apertum littus vel urbis mœnia attingat. Hinc fit ut ingens calculorum vis æstus impulsu aggeratur. Incredible quidem dictu, quantum thesauri exhausserit Henricus Octavus Rex potentissimus, dum studet stationem, & portum commodum classi suæ hic constituere. Si quis vero nunc contenderet portum hic olim non fuisse, Antonini *Itiuarium non contemnendum illi objicerem. Illic enim portus Dubris, nomine tamen corrupto, meminit. Nec interim Rutupinum aut Limenicum portum silentio obscuravit. Unde colligo hos tantum tres portus apud Cantios antiquitus fuisse celebres. Referunt & iidem Annales Lucium regem Britannorum Christianum, ecclesiam Servatori suo in Durensi Castro consecrasset. Eadbaldus Cantiorum Princeps Ethelberti Magni filius, consilio Laurentii archiepiscopi Durovernen-sis, Canonicorum in eodem castro collegium instituit, quos postea Vitredus Rex Cantiorum alio transtulit, videlicet in vicinam urbem, Fano

*sic

57 <Rochester>

Martini magnifico opere in eos usus exstructo, quod vel hodie desolatum insignem præ se fert, vel foro medio, antiquitatem. Sed manum de tabula. Alibi de his rebus fusius dicemus.

DOROBREVUM, alias Durobrevum (cujus mentio est semel, atque iterum apud Antoninum) urbs sita est in ripa Vagæ fluminis, qui modo **Medewege** dicitur, media pene via, qua itur a Londino Dorovernum. Saxones hanc postea a Hrof, viro quodam primario, & urbis Domino, **Hrofcester** appellabant. Hujus quoque appellationis Beda. cap. 3. libri. 3. historiæ Anglicæ

meminit. Nomen etiam Hrofi adhuc vivit in quadam Cantiorum familia. Paulinus episcopus Durobrensis fuit, & secundus, si recte computo, Ithamarus, cujus cum literas, tum vitam collaudat Beda. 13. cap. 3. libri historiæ suæ. Multas hæc pertulit urbs calamitates, & belli, & incendii. Ethelredus Rex Angliæ infensus Cantii, urbem variis adflixit modis, & Canonicos Fani Andreæ fugavit, qui tamen postea suo juri restituti sunt. Gundulphus Cadomensis, episcopus Roffensis Canonicos expulit, ac mo-

58 <Canterbury>

nachos monachus induxit, ut apparet ex Eadmeri historia. Lugebat longo tempore Rofa, ponte aut rupto, aut non confecto. Robertus Collinus, qui vulgo **Knolles** Gallomastix ille, miseratus urbis solitudinem, magnis ausis violentissimum Vagæ fluminis gurgitem vicit, jactis novi Pontis fundamentis.

*sic

DOROVERNUM, alias Durovernum, Ptolemæo Darvenum, emporium totius Cantii illius, teste Cæsare, humanissimi emporium longe frequentissimum, & Romanorum aliquando in Britanniam venientium palatium, a Duro fluvio vicino, qui nunc Sturus dicitur, quantum colligere possum, nomen accepit, servavitque inter eruditos.

Sylvester Gyraldus Menevensis hæc refert, secundo Distinctionum libro. Dorobernia a Dour Britannico vocabulo, quod aquam significat, quoniam aquis abundat. Hactenus ille.

Sed vulgus postea urbem **Cante-warbyri**, id est Cantiorum curiam, appellavit. Britanni, Romanique hic templum posuerunt Christo Servatori sacrum, cujus gloria, Saxonibus pa-

59

ganis late Cantium occupantibus, defloruit; & postea, Ethelberto Rege ad Christum, Augustino Romano concionante, converso, refluoruit. Calamitates non paucas bello Regulorum Angliæ intestino passa est hæc civitas. At ea longe maxima fuit, cum Dani, regnante Ethelredo Principe infortunatissimo, urbe capta, omnia vi, cæde, flammis confunderent. Osbernus Præcentor Durovernensis in elegantissimo libello de vita Ealphegi archiepiscopi Cantiorum, hujus nefandæ cladis abunde meminit. Hovedenus etiam historiographus hanc tragœdiam tam aperte, & lucide

ob oculos lectoris ponit, ut hinc cu=
ivis pio facile lachrimas excutiat.
Lanfrancus Ligur beneficio Gulielmi
Magni archiepiscopus, urbem Cantio=
rum, & Fanum Servatoris utcunque
restituit. At interim pars magna
mœnium diruta jacebat. Simon Sudo=
curianus archiepiscopus, homo pius,
at impie a seditiosis securi percussus,
maximis sumptibus mœnia, quæ par=
tim Occidentem, partim Boream
spectant, refecit. Cætera hujus urbis
cum monumenta, tum facta illustria
ab eius alumnis scriptoribus fidelis=

60

simis, videlicet Eadmero, & Gervasio,
monachis Fani Servatoris, ac Thoma
Spottæo, & Gulielmo Thornæo Fani
Augustiniani monachis sunt quæren=
da.

...

67

... Illud interim notandum,
quod Saxones plerunque mutabant
Dour Britannicum in Stour. Id quod
tum in hoc fluvii nomine, tum etiam
in eo, qui Durovernum Cantiorum
alluit, factum: quo loco si a plebe
rogaveris, quod fluvio nomen sit,
Stour, non Dour, respondebunt. ...

...

81 <Gravesend>

GREVA, vulgo **Grevesende**, La=
tine Prætorius limes. Greve etenim
Saxonice prætorem significat. Unde
Portegreve, Præfectus portus. Bur=
gegreve, Prætor vel præfectus op=
pidi.

...

88

... Sabulovicum, vulgo **Sande=
wiche**.

...

92

... Ab eo tempore sensim de=
crevit Anglorum felicitas. Deus ipse
tanti sceleris tandem ultor erat. Pes=
sima interiit pessimus Polus morte,
detruncato in littore Dorensi capite.
Poli genus omne concidit. Hunfridi
fama, eruditio, fides, gloria etiam
florent, perpetuoque florebunt.

...

95

ITIUS portus, alias Iccius, & Icius de quo Cæsar in commentariis, nunc **Calice**. De portu ut non dubito, ita facile non possum adduci ut credam hunc esse locum, quem Latini autores Gessoriacum appellant. Beatus Rhenanus liquido probat ex antiquissima charta militari, Gessoriacum eam esse urbem, quæ nunc Bononia dicitur. Unde brevissimus est in Britanniam trajectus: Id quod periti rei nauticæ adfirmant. Quam nuper accepi, a Dori ad portum Icium brevissimum esse transitum, quod tamen non temere adfirmo. . . .

...

110 <river Rother>

LIMENUS, fluvius, Britanniæ ce Limene. Refert hoc nomen originem Græcam, quod pleno defluens alveo portum efficiat. Est enim portus, littus, sinus maris, Græcis 'Limên'.

111

Eadbertus rex Cantiorum Limeni meminit in quadam donatione facta, Anno Dom. 741. Chronica Fani Neoti de Limeno sic loquuntur [Limenus fluvius currit de sylva magna, quæ vocatur **Andredeswalde**. Habet autem ea in longitudine ab Oriente in Occidentem miliaria 120, & eo amplius in latitudine autem triginta.] Graius in opere, cui titulus Scalechronicon *Andredesu ualdæ meminit, & Sigeberti regis Visisaxonum ab upilione ibidem interfecti. Henricus Venantodunensis, quarto libro historiæ de regibus Anglorum, hæc refert, ubi de Danis, fretus autoritate Mariani, agit: [Postea rediit in Angliam ille magnus exercitus cum omnibus rebus suis ad portum Limene cum 250. navibus, qui portus est in orientali parte Cantia, juxta magnum nemus Andredeslege, quod centum & viginti miliaria in longitudine, triginta in latitudine continet. Egressi vero construxerunt castrum apud **Apeltre**.] Hactenus Venantodunensis. Saxonicus id Apletre est, quod Latinis (Malus) nota arbor. Et quoniam in mentionem Andredeswaldæ, cujus apud Marianum clara est memoria, incidi-

*sic

112

mus, lubet hic obiter significare Henricum Venantodunensem Andredescastrum, urbis, ut ait, olim celeberrimæ, at ab Ealla primo rege Sudosaxonum funditus eversæ, non sine honoris præ-

fatione magna, primo historiæ suæ libro, meminisse. Nomen Limeni, nostris prorsus incognitum temporibus. Constat tamen eum fuisse fluvium, quem hodie Rotherum vocant. Orietur autem in Argasio monte, non procul ab Aquædunensi saltu, alias **Warterdon**, loco Sudosaxonibus notissimo. Unde labitur vicinum in campum, cui nomen indit, videlicet **Rotherfeld**. Hinc Vicanum, alias **Hichingham**, petit, ac Robertinum pontem. De hoc vico recentiores quidam scribunt, de nomine nil dubitantes. At mea conjectura est, Rotheri pontem in Roberti pontem degenerasse. A ponte Rotherino recta decurrit Bodiam, olim Dalenrigii, postea Leichenoriorum castellum. Deinde Noviodunum pagum, & Oxinegam, ubi trajectus, alluit. Postremo Apletream vasto defertur gurgite, ac mox aperto mari se committit.

...

129 <Greenwich>

PLACENTIA, Gallice pleasaunce. Nomen palatio ab Hunfrido Duce Claudio instaurato, a loci amœnitate inditum, quod modo periit, resuscitata veteris Grenovici memoria. Has ædes Hunfrido mortuo coluit E-

130

adveardus eius appellationis ab imperio Nortomannorum Quartus. Cygnus de hac Placentia magnifice personat in mellita sua Cantione.

...

138 <Deptford>

PROFUNDUM-VADUM, Anglice **Depeford**, tantum villa piscatorum paucis ab hinc annis. Henricus Octavus Principum decus omnium, Navale conservandis, & reficiendis navibus hic instituit, armamentariumque juxta posuit, ac nuper splendida etiam ædes Grenovicis famulas, ex celso erexit fastigio.

...

139 <Queenborough>

REGIUS-BURGVVS Saxonice Cuningburg, corrupte **Quinborow**. Castrum hoc situm est in littore, qua Ovinia, alias Shepæga insula, Tamesini & Vagani fluvii ostia aspicit. Instauratorem Eadveardum Vindelesoranum agnoscit, & Gulielmum Perottum Vicanum, postea Simenorum episco-

pum, præfectum operis celebrat. De-
nique & Henricum octavum firmiora

140

jam nactus robora extollit.

...

165 <Greenwich>

VIRIDIS-SINUS. Saxonice
Grenewiche. Erat hic locus antiquitus
statione na<v>ium celebris, potius quam
ullo illu<st>rium ædium titulo. Non=
nullam sibi olim peperit famam ex
castris, quæ Dani in supercilio vicini
montis posuere. Hujus rei gestæ cla=
ra apud Henricum Venantodunensem in
Suenone his verbis mentio est: 'Tur=
chillus vero similiter jussit dari victum,
et censum exercitui, qui erat in Grene=
wike.' Possem hic multa, et ea claris=
sima, in medium de loci celebritate
adferre. At in præsentia hæc suffece=
rint: quandoquidem Cygnus, accu=
ra<t>e, alias, Regiam, quam sublimem
habet, suis coloribus omnibus depin=
xerit.

...

<This book of Leland's, first published in 1545, was reprinted in
1658. The punctuation and the spelling were revised; otherwise,
except for a few corrections and a few new errors, the text is just
the same. – C.F. June 2010.>